



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm IV. Sanè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

dum : revocari potest donatio ab oblato recedente, tanquam quæ facta fuit ob causam, causâ non secuta.

Sed quid in dubio censendum, priorè an posteriore modo donatio facta fuerit? Respondetur ex doctrina *Abb. hic*, *Bartol. in auth. ingressi. n. 10. C. de sacrosanctis Ecclesijs. Sanch. lib. 7. moralium. c. 1. n. 6. & seqq.* in primis attendendum esse, num donatio facta sit omnium bonorum, majoris partis, vel partis bonorum, quæ absolute valde magna, & notabilis est, an verò partis bonorum non ita magnæ aut notabilis. In priorè casu censenda est donatio facta accessorie ad personam, quæ ibi sustentari debet, dummodo tempore factæ donationis donans, propositum habuerit se Ecclesiæ offerendi, seu de ea re tunc actum fuerit. Ratio est, quia nemo facile censetur bona sua in tanta quantitate profunderè velle. Sin autem donatio Ecclesiæ facta sit non in tanta, uti diximus, quantitate, tunc nisi aliæ conjecturæ adsint, ex quibus dubium resolvi possit, standum est verbis, quibus donator usus fuit. Si enim dixit: offero me cum his bonis meis: censeretur oblatio bonorum facta accessorie ad personam *L. 1. ff. de peculio legato*. Ubi dicitur, quæ accessorium locum obtinent, extinguuntur, cum principales res peremptæ sunt. Consentit *Lex sicut 5. ff. de instrulio &c.* Sin autem dixerit: offero me & hæc bona mea Ecclesiæ, censeretur utrumque per se, & principaliter oblatum, sicut si quis fundum & instrumenta legârit, censeretur duo distincta legata, quorum unum ab altero non dependeat.

Cæterum de ijs, qui Religionis institutum amplecti volunt, alia ratio est, secundum novam Concilij Trident. constitutionem *Sess. 21. c. 16. de regularibus*. Ubi statuitur, ut omnis donatio cujuscunque facta etiam ad piam causam irrita sit, nisi fiat intra duos menses proximè antecedentes professionem, adhibitâ Ordinarij licentiâ, & talis donatio nihilominus valere non debet, si professio secuta non fuerit. Quam

constitutionem non pauci Doctores ita amplè intelligunt, ut donationes, etiam quæ ante ingressum in novitatum factæ sunt, pro irritis haberi debeant, si factæ sunt intuitu seu occasione ingressus, saltem ut causæ impellentis, aut sine qua donatio facta non fuisset. Quæ de re fusius egi *lib. 3. tra. 5. de justitia. e. 7. q. 3.*

CAPITVLVM IV.

Sanè.

PARAPHRASIS.

Si Sacerdotes nuptias contrahere præsumperunt, post longam actam penitentiam, & vitam laudabiliter, atque continenter ductam, ab Episcopis, officiis suis restitui, atque executionem eorum per indulgentiam recipere possunt.

Notandum, Ex hoc cap. colligitur, Clericum in sacris, si forte uxorem acceperit, irregularitatem quandam incurrite, dispensabilem ab Episcopo. Quam irregularitatem *Syl. V. bigamia. n. 3. Suar. de censuris. disp. 49. s. 4.* existimant esse bigamæ similitudinaræ *arg. c. quorquot 24. causa 27. q. 1.* Cujus contrarium vitium mihi est probabilius *lib. 1. tra. 5. c. 6. dicto 2.* Sed parùm interest, dummodo sciatur, quòd dicta irregularitas non incuratur, nisi nuptiæ consummatæ sint. Porro tamen talis Clericus irregularis sit; non tamen teneatur beneficia sua dimittere, donec eis priueretur, juxta ea, quæ dixi *c. 1. hoc tit. & universim de irregularib. tradit Sanch. lib. 7. disp. 42. n. 15. & docui lib. 1. cit. tr. 5. p. 5. c. 1.*

CAPITULUM V.

Diversis.

PARAPHRASIS.

Intellexit Innocentius III. quòd in Novicensis Episcopi diocesi Clerici conjugati beneficia Ecclesiastica retinerent. Quia verò in Clericorum conversatione ci-

thara